

E contrario vero in omni tribulatione oppositam sententiam usurpaverit; « Momentaneum, quod cruciat, æternum, quod delectat. » El per geminam hanc æternitatis considerationem se ad abstinendum, et sustinen-

dum fortiter excitarit. Confirmetur idipsum enumeratione particularium casuum, et seria exhortatio ad idem medium usurpandum subjungatur.

P A R S I I I

D E C A T E C H I Z A N D I M U N E R E .

De hoc bene et accurate plerumque pastoralia diocesana agunt; ad plenioram tamen totius doctrine, que ad Concionatoris officium spectat, cognitionem, placet hac ultima in parte paulo distinctius de fine, virtutibus, et praxi hujus muneris agere.

CAPUT I.

De fine Catechismi.

Catechismus nihil aliud est, quam brevis et facilis instructio in rebus ad fidem et Religionem Catholicam pertinentibus; unde communiter pueri tantum et puellæ in Catechismum mittuntur, quia reliqui jam supponuntur habere notitiam sufficientem similium rerum. Atque ex hac descriptione facile colligitur, quisnam finis catechizanti præfixus esse debeat, videlicet ut adolescentiam in doctrina christiana bene instruat. Porro excellentia finis hujus ac muneris ex variis capitibus colligi potest.

I. Ex exemplo et præcepto ipsius Dei, qui DEUT. c. iv. sic locutus est ad Moysen: « Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, et discant timere me omni tempore, quo vivunt in terra, doceantque filios suos. »

II. Ex Christi exemplo et mandato, qui non solum præcepit Apostolis, ut irent in universum mundum, et docerent servare mandata, sed etiam ipsemet complexans parvulos, imponens manus super illos benedicebat eis. MARC. x. Et ut alios quoque ad similem

charitatem invitarent ulterius dixit: « Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recepit. » Ibid. c. ix.

III. Ex SS. Patrum exemplo, præcipue Cyrilli Jerosolymatani, Clementis Alexandrini, et Sancti Hieronymi, aliorumque, qui hoc munus magnam eum charitate, demissione, ac patientia obierunt. Hinc S. Hieronymus ad Letam Epist. xviii. scribens: « Gestabo, inquit (scilicet filiam Letæ) humeris, et balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonico periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi crudiam, regnis cælestibus offerendam. »

IV. Ex auctoritate et exemplo Ecclesiæ, que tantam muneris hujus curam habet, idque tantopere Parochis commendat, ubi ex concilio Tridentino patet.

V. Ex exemplo insignium operariorum in vineis Domini, quibus summe semper cordi fuit hæc instructio. Inter quos merito numeratur S. Ignatius, qui non tantum ipse singulari zelo atque industria in hoc munere sese exercuit, sed etiam in constitutionibus suis sanxit, ut omnes rectores et professi per quadraginta dies a suscepto rectoratu aut professione facta in hoc opere catechizationis

suam charitatem et demissionem probarent.

VI. Ex principium et dominorum saecularium exemplo, qui summo opere laborant, ut subditi sui ea capita, que ad suum officium pertinent, probe intelligant, et addiscant; quanto magis ergo laborandum, ut adolescentia officium boni Christiani, a quo tota ipsius salus et felicitas aeterna dependet, bene addiscat.

VII. Ex Haeticorum exemplo, qui talem unum olim non nisi antiquissimo et supremo totius civitatis Domino commiserunt, uti Xenophon testatur.

VIII. Ex Haeticorum exemplo, qui singulari industria conantur adolescentiae illas Scripturae Sacrae sententias inculcare, quibus errores ipsorum et Haereses potissimum nituntur.

IX. Ex hostium Ecclesiae conatibus in Catechismo eliminando. Certe Julianus Apostata Christianam fidem deleturus catechismum primo tollendo censuit, hinc edicto cavet, ne qui Christiano liceret litteras publice profiteri.

X. Ex necessitate Catechismi; cum enim sine fide impossibile sit placere Deo, uti S. Paulus c. II. ad Hebraeos docet, necessario sequitur, etiam sine Catechismo salvari neminem posse; « Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? » ait idem Apostolus c. X. ad Romanos.

XI. Ex utilitate huius muneris; cum enim ea, quae simplici modo traduntur, facilius capiuntur; ex altera vero parte, quae adolescentia semel apprehendit, diutius haereant, necesse est, ingentes in rempublicam Christianam utilitates ex tali instructione promanere. Certe Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius integro libro de hoc munere conscripto, postquam variis rationibus ostendit, hoc munus neque a sua Cancellarii, Doctoris Theologiae, vel ullius in quacumque dignitate constituti persona alienum, tandem concludit, se vix scire, an utilis et efficacius in ullo officio, quam in hoc occupari possit, omnesque aliorum objectiones fusa refutat tomo secundo suorum operum.

XII. Ex damnis, quae ex Catechismo neglecto oriuntur, et clare videntur ab ipso Deo Isa. LII. c. V. his verbis indicata: « Propterea captivus ductus est Populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame (doctrinae et verbi divini) et multitudo

eius siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendit fortes ejus, et Populus ejus, et sublimes, gloriososque ejus ad eum. » Quae omnia, proh dolor! nimis impleta nostro saeculo comperiuntur.

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS CATECHIZANTIS.

I. Prima virtus illius, qui doctrinam Christianam cum optato fructu docere cupit, est *honoris divini zelus*; si enim a talis muneris felici successu tota mundi salus dependeret, annon summa cum diligentia in id Catechista incumberet! Atqui pluris faciendus est honor et gloria Dei, quam omnium hominum et Angelorum, etiam possibilitium salus. Cum ergo honor iste Dei plurimum ab hac instructione parvulorum dependeat, ut constat, annon summa cum alacritate eandem suscipere debeat Catechista?

II. Secunda est *zelus animarum*; hic enim suadet, ut quam studiosissime salus animarum procuretur, non potest autem haec melius et efficacius a Catechista procurari, quam si exemplum S. Tobiae Senioris secutus, ab infantia parvulos Deum agnoscere et timere doceat; tum quia sic meritorum tibi cumulum ingentem praeparabunt, tum quia sic viam virtutis ingressi, etiam, cum senuerint, non facile recedent ab ea.

III. Tertia virtus est *intentio pura*, qua nihil praeter Dei beneplacitum et honorem, et ipsarum animarum salutem quaerit; sic enim et magnam in hoc munere obeundo alacritatem concipiet; et, dum in modico fidelis est, dignus efficietur, etiam ad majora ac praestantiora munera perficienda copiosam a Deo gratiam accipere.

IV. Quarta est, *orationis studium*; cum enim Catechista quasi nutriceis munere fungatur juxta illud S. Pauli I. ad Cor. III. *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis*; merito ex aula caelesti cibum divini auxilii petere debet, quo mediante lac istud conficitur, et cum fructu parvulis offerre queat.

V. Quinta est *humilitas*; per quam tum suis viribus diffidat, et doctrinae a S. Paulo I. Cor. III. propositae meminerit: « Neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus »; tum etiam non

dedigneretur cum parvulis tamquam inaequalibus agere. Certe per hanc humilitatem faciet impleri id, quod S. Franciscus Seraphicus dicere solebat: « Quae sterilis erat (in oculis hominum) peperit plurimos: et quae multos habebat (ad speciem, ob plausum majorem, quam fructum) infirmata est. »

VI. Sexta est *prudencia* qua se accommodet ingenio et naturae parvulorum, et omnibus omnia fiat, ut omnes lucrifaciat. Loquatur ergo ut parvulus, id est, simplicem proponendi modum eligat, et omnem personae gravitatem in hoc actu deponat.

VII. Septima est *mansuetudo*, qua omnes indignationis motus ex parvulorum incititia vel negligentia oriri solitos comprimat; quin potius errantes animet, ac spe de ipsorum securitate emendatione concepta soletur. Hic profecto, si unquam meminisse debet Catechista illorum Christi verborum MATTH. II. « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: » et invenietis requiem (temporalem scilicet et aeternam) animabus vestris, id est, vestrae curae commissis.

VIII. Octava est *spes et fiducia* de divino auxilio; si enim Christus, cum suos Apostolos ad Ethnicos Catechizandos misit, promissit, se cum illis ubique futurum; quidni idem auxilium sperare possit Catechista in rudibus instruendis et efformandis occupatus?

IX. Nona est *patientia*, qua molestias in tali munere frequenter, imo assidue fere occurrentes patienter et fortiter sustineat, memor semper sententiae Servatore MATTH. XXV. prolatae: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

X. Decima est *liberalitas*, quam tum erga Deum exhibeat, summa industria et alacritate hoc munus ob illius honorem et amorem obeundo; tum erga ipsos parvulos, qua verbis et laudibus; qua munusculis variis eorumdem diligentiam liberaliter remunerando. Illic profecto qui large seminat, large et metet de benedictionibus divinis tam in hoc saeculo, quam futuro.

XI. Undecima denique virtus est *constantia*; qua nihil de fervore et studio in hoc munere exequendo remittat, etiamsi non appareat, vel sequatur speratus fructus, nam *non minus meritum inde reportabit, quam si maximus fructus secutus*. 2^o Spem justissimam concipere poterit, fructum optatum suo tempore securum, et nunc perinde ut semen sub terra radicem figere. 3^o Sat magnum operae pretium est, si vel in una, alte-

rave persona fructus aliquis, quod plerumque contingit, subsecutus est, certe S. Ignatius Loiola totum laborem, quem in domo pro meretricibus conversis erigenda susceperat, optime collocatum putabat, si aliqua talium mulierum vel unica nocte a consueto scelere abstinisset.

CAPUT III.

DE PRAXI SEU MODO CATECHIZANDI.

Circa hunc triplicis generis industriae observandae occurrunt, quorum aliquae ante catechizationem, aliae intra ipsam, et aliae denique ea absoluta exercendae sunt.

Quid ante catechizationem observandum sit.

I. Ante omnia hoc negotium tum in quotidianis precibus tum eo maxime tempore, quo se ad Catechismum praeparat, Deo per premissam orationem brevem commendat; et Spiritus sancti gratiam per hymnum *Veni creator*, vel antiphonam *Veni S. Spiritus*, aut alias similes preces impetrare conatur.

II. Seipsum bene doceat, ita ut Catholica dogmata probe intelligat, et nihil non concoctum, purumque sit, priusquam id alteri tradat. Si enim ipse aliquid ignorat, quomodo alios docebit, ut in simili Catechistis Judaeorum S. Pauli ad Romanos c. II. exprimat?

III. Etsi optime calleat fidei Mystera, nunquam tamen imparatus ad Catechizandum accedat; alioqui enim solummodo chaos aliquid proponet, et sine methodo multa minus necessaria dicit, magisque necessaria omittit, aut modo ad captum minus accommodat proponet. Certe P. Antonius Possevinus in Epistola Catechetica cap. II. duabus quasi alias magnos Catechistam profectus factorum dicit, pietate scilicet, et alacritate, seu perspicua docendi ratione.

IV. In praevia preparatione materia selectum faciat, curetque, ut ea nec ampla nimis, neque nimis angusta sit, ut intra annum unum, vel ad summum duos totus Petri Canisii Catechismus, qui ordinaria exhortationum materia, esse deberet, absolvi possit. Sed et id in selectu materiae observabit, ut magis necessaria (qualia sunt, quae

necessitate medi aut præcepti scire quibus Christianus tenetur) aliis præferat, beneque inculcare studeat.

V. Selectam materiam in claram et facilem methodum redigat; qualis erit v. g. si, quæ diuturnus est, in certa puncta, vel quæstionculas paucas compingat, ita ut facile omnia capi, repeli, ac retineri possint.

VI. Abstinebit a conceptibus, et modo concionatorio, a multis sententiis S. Scripture et SS. Patrum, a citationibus auctorum vel locorum, ex quibus desumpta est materia; sed modo simplicissimo, et sermone fere familiari utatur: nam optimus modus, teste S. Augustino de catech. rudibus, « est, ut qui audit, verum audiat; et, quid audiat, intelligat. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire non potest? Et quid obest lignea, quando nihil aliud quarimus, nisi patere, quod clausum est. »

Certe P. Antonius Possevinus per viscera misericordiæ Dei rogat Catechistas, ut utantur casta et congrua oratione.

VII. Præparabit etiam sibi utilissimæ quæstiones quodlibeticas, quas sub examine proponet, et solvet. Eæ autem esse possunt, tum ex iis, quæ dicta sunt; tum de Festis et temporibus sacris imminutibus; tum de quotidianis actionibus et virtutibus ab adolescentia requiri solitis; tum de cæremoniis Ecclesiæ, quas sive ad Festa solemnium celebranda, sive ad Mystera firmis imprimenda, sive ad reverentiæ et pietatis sensum in celebratione Sacrificii, aliorumque Sacramentorum, et Sacramentalium administratione ac usu ingenerandum adhibere consuevit. Quem in finem ipsi institutiones Cosleri, Catechismus P. Georgii Vogleri, P. Georgii Schereri, P. Nicolai Casani, et præcipue libellus parvus anno 1675. Ingolstadtii recusus (qui hunc titulum habet: *Unterricht über die Catholische Fragfluck* Catechismi, etc.) omnes ejusmodi materias succinete et clara, facilique methodo explicans servare poterunt.

VIII. Historiæ non multæ, nec longæ, nec etiam quævis præparabuntur. Sed quoniam ejusmodi simplices Auditores doctrinam traditam magis per exempla et similitudines, quam per rationes capiunt, talis erit historia quærenda, quæ mysterium explicatum probet, et ad vivum quasi declaret. Quæ tamen ipsa sic narrauda erit, ut omnes ambages, amplificationes, et circumstantiæ non necessarie omittantur; solaque propemodum facti substantia breviter indicetur.

Quid in ipsa catechizatione observandum sit.

I. Ubi tempus pro Catechismo habendo advenerit, superpelliceo et stola coloris temporis convenientis indutus ad locum huic exercitio deputatum cum modestia ac gravitate accedat, et si quidem parvulus Catechizandos necdum in ordinem compositos reperiat, eosdem vel per se, vel per ludimoderatores præsentés, aut alios compositos studeat.

II. Subinde in medio paulo ante ipsos consistens, ut ab omnibus conspici queat, SS. Crucis signum in fronte, ore, ac pectore tarde et reverenter efformet, idemque etiam ab ipsis parvulis efformari curet. Tum orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, et Symbolum Apostolorum præeundo recitet, et ab iisdem pie et reverenter repeti verba a se prolata faciat; cujus recitationis duplex est finis, nempe ut et has preces crebro repetendo firmius memoriæ imprimant, et per easdem gratiam tum sibi ad doctrinas rite excipiendas et discendas, tum Catechizanda et eas fructuose proponendas tantopere necessariam impetrent. Certe S. Franciscus Xaverius, peritissimus et zelosissimus Catechista, plurimi semper fecit hunc orandi modum, et, ut ex vita ipsius constat, studiosissime observavit.

III. Finita oratione caput e Catechismo (nisi alia sit alicubi consuetudo, qualem Rituale Augustanum indicat, ut scilicet repetitio eorum, quæ in priori Catechismo sunt dicta, exigatur) recitari jubeat, quod, si longius sit, uti quintum, in duas partes dividi pro arbitrio poterit. Sic autem instituat hęc recitatio, ut duo adolescentuli vel puellæ ex adverso (et ubi commodè fieri potest, etiam in editorio quodam loco, ut ab omnibus aliis conspici et audiri possint) consistentes, facto reverenter Crucis signo, Catechismi quæstiones sibi mutuo proponant, et ad easdem tarde et distincte per stropharum recitationem respondeant, totoque capite recitato iterum Crucis signum efforment. Quod si vero ex pluribus scholis parvuli sint adducti, consultius fore est, ut mutatis per Dominicas aut Festa vicibus, ejusmodi capita recitent, quam ut quælibet schola speciale caput sibi recitandum assumat; cum enim tempus pro Catechismo deputatum vix aliis magis necessariis et utilibus actionibus suf-

ficiat, merito cavendum est, ne per ejusmodi longas recitationes minus utiliter constringatur. Absoluta capitis hujus recitatione collaudet eos, qui absque multis erroribus illud recitarunt, oblatoque munusculo eorum diligentiam remuneret, aliosque ad eorum sequendum exemplum hortetur. Prius tamen, quam eos, qui caput recitaverunt, abire sinat, unam, alteramve quæstionculam magis necessariam circa idem caput illis proponet, et resolutionem vel ab illis, vel ab aliis petat; sic enim ea quæ alias in explicatione talium capitum, vel alia occasione dicta sunt, repetentur, firmiusque memoriæ imprimuntur.

IV. Post hæc quærat, quid in postrema catechizatione sit dictum. Quod si ipsi pueri aut puellæ pauca aut nihil retinuerint, aut non nisi historiolas (ut fieri solet) in memoria servarint, repetat ipse breviter quæstiones propositas, earumque solutionem subjiciat, et mox iterum repeti ab uno, alterove jubeat. Porro tam in hoc, quam aliis examinibus (in quibus totus fere Catechismi fructus existit) non sit contentus, ut ab uno tantum, alterove doctrina aliqua addiscatur, sed curet, ut a pluribus repetatur, sicque instructionis fructus in plures redundet. Quod si vero interdum in ejusmodi doctrinis percipiendis tardiores aut minus attentos advertat, attentionem et alacritatem discendi proposito præmio alliciat.

V. Ab hoc examine transeat ad illos, qui alia, quam quæ in Catechismo proximo explicata sunt, didicerunt; quo in examine proderit ordinem servare, ne alii frequentius, alii rarius audiantur; aut illa, quæ sæpius jam recitarunt, iteratis vicibus repetere sinantur, sic enim ad nova addiscenda stimulum non haberent. In hunc finem juverit catechizandos (si nimii non sint) vel in charta descriptos habere, vel certe peculiariter cuique locum in templo assignasse.

VI. Denique ad ipsam exhortationem progrediatur, quam vel sedens in sella, vel, ut aliqui, stans peragere poterit, ita tamen, ut frequenter circumspiciat, num attente singula a catechizandis percipiuntur. Curabit autem, ut ista exhortationem non diu nimis protrahatur, uti et totum tempus Catechismi, quod ultra horæ spatium extendi ordinariè, præsertim in hyeme, non debet. Multum fieri potest per horam, si Catechista bene paratus omnia in promptu habeat. Ut autem facilius exhortationis hujus capita percipiuntur, et retineantur, ea in fine in

breve compendium rediget, repeletque; imo quandoque potiora puncta quibusdam scripto consignata tradet, ut eadem per hebdomadam memoriæ tradant.

VII. Finita exhortationem surget, et modeste ac graviter, sicut ab initio, decalogum, quinque præcepta Ecclesiæ, et quatuor novissima recitando præbit, et signo Crucis formato, toti Catechismo finem imponet.

VIII. Ut autem hæc omnia facilius et fructuosius peregrantur, sequentia sedulo observasse proderit. 1^o Ut inter catechizandum, magnam potius, et maturam hilaritatem, quam tristem ac morosam severitatem pre se ferat; nam, ut S. Augustinus ait, (multo gratius audimur, cum et nos eodem opere delectamur.) Undo autem hæc hilaritas peti debeat, mox subdit: « Sed hæc hilaritas ad horam ut adsit, ejus est misericordiæ, qui ista præcepit. » 2^o Ut sedulo caveat graviores objuraciones, et omne impatientis animi signum; excuset potius, et juvet ignorantes, animetque. 3^o Ut munusculis etiam laudes adjiciat, quod maxime erga magis ingenuos observandum erit; dum autem munuscula distribuit; jam alius constitutus aliquid recitet, ut nihil temporis otiose effluat.

Exemplar practicum exhortationem in catechizatione habendæ.

De SS. Crucis signo devote et frequenter efformando.

EXORDIUM.

I. Per dilecti filii et filia, in proxima exhortatione vobis explicavi, quis verus Catholicus et Christianus sit discendus; nunc quia in Catechismo nostro sequitur quæstio: Per quod signum agnosci solet verus Christianus? Et ibidem respondetur, eum per hoc quod se S. Crucis signo signet, et devote dicat: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen: » cognosci oportet de hac saluberrima et piissima consuetudine formandi Crucis signum, aliquid dicere. Quare quatuor quæstiones breviter proponam, nimirum quomodo, cur, et quando formandum sit, et quos effectus habeat hæc formatio. Diligenter proin attendite, operamque date, ut, quoniam omnia, quæ dic-

turus sum, valde vobis necessaria et utilia sunt, singula bene et integre percipiatis.

Pars prima.

Prima ergo questio est, quomodo Crucis Sacrosanctæ signum formandum sit? Ad quam respondeo. 1^o Latinam quidem sic formandam, ut manum integram expansam aliquis a fronte primum ad pectus, et a sinistro humero ad dextrum moveat; minorem vero seu vernaculam, ut vocant, ita faciendam, ut solo pollice parvam imprimis Crucem in fronte, tum in labiis, et tandem in pectore efformet. Resp. 2^a Utramque hanc formationem, ut debito cum fructu fiat, distincte, reverenter, et devote faciendam esse. *Distincte* quidem, ut non media dumtaxat, sicut aliqui interdum faciunt, nec puncta tantum in minore Cruce, sed vere et integræ Cruces, nec nimis parvæ, nec nimis magnæ formentur. *Reverenter* autem, ut non præcipiti, aut jocularia manus agitatione, sed cum convenienti gravitate, et moderata tarditate, quæ interioris æstimationis præbeant indicium, dextra ad Cruces formandas moveatur. *Devote* denique, id est, cum pio fiducia et religionis affectu, et Passionem Christi religiose recolere, et per ejusdem merita varios effectus, de quibus in questione quarta sermo erit, impetrare studemus.

Pars secunda.

Alterâ questio est, quando hoc signum formare debeamus? Ad quam Resp. 1^o In genere cum S. Hieronymo, quod ad singula opera, et introitum vel exitum e domo faciendâ sit; sic enim primos Christianos facere consuevisse, Tertullianus testatur. Resp. 2^o In specie vero hoc signum formare convenit mane, cum surgitur; et noctu, dum cubitum iur; in initio cujusvis orationis, uti et in fine ejusdem, juxta S. Matris nostræ Ecclesiæ exemplum: ante et post scholas, vel labores nostros, quia, ut SS. Patres et Ascetæ dicunt, signum Crucis est quasi sigillum, quo si opera nostra signentur, plurimum Deo placebunt, ejusque nobis benevolentiam, gratiamque conciliabunt: ante et post mensam, ne nobis eveniat, quod mortali cupiam contigisse legitur, quæ a Diabolo obsessa est, eo quod lactucam, cui

Dæmon insederat, Cruce prius non signatam comedisset, uti in Spec. Ex. V. Crucis signum ex. 1. refertur. Item quando in periculo vel tentatione constituti sumus; tunc enim cum Ecclesia armare se Crucis signo decet, et dicere: « Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. » Vel: « Ecce signum Crucis, fugite partes adverse; vicit leo de tribu Juda. » Ob eandem causam etiam non inutiliter Crucis signum aliqui formant, quando fulgur aut fulmen e nubibus excussum est, item quando oscitant, ne ex similibus casibus aut actionibus damnum aliquod patiantur. In quibus omnibus, et pluribus similibus casibus parvuli mature assuefieri debent, ut laudabilem hanc consuetudinem in adultiori etiam ætate cum suo et aliorum magno commodo et solatio retineant.

Pars tertia.

Tertia questio est, cur, seu quos ob fines Crucis signum formandum sit? Ad quam questionem breviter respondeo, ob triplicem potissimum finem eam formari. 1^o *Ad Crucis et Passionis Christi memoriam recolendam*; cum enim ipse Christus quondam Religioso cuiquam revelavit, nihil gratius sibi prestari posse; quam si frequenter SS. illius Passio animo revolvatur; merito creditur, etiam formationem Crucis, que ob eandem memoriam recolendam suscipitur, gratissimam illi futuram. 2^o *Ad fidei nostræ professionem faciendam*: cum enim præcipua fidei nostræ mysteria seu articuli sint unitas Divinæ naturæ, et Trinitas Personarum, et Christi Incarnatio, ac Passio atque humani generis Redemptio, hæc autem clarissime in Crucis signo exprimentur, verisque etiam ipsis nominentur, facile apparet, formationem Crucis merito pro vera fidei nostræ professione agnosci, si quidem cum debita devotione ac reverentia peragatur. 3^o *Ad obligationem nostram indicandam*: qua ob Sacramentum in Sacramento Baptismi dictum, ad Crucem velut vexillum Christi, per quod redempti sumus, sequendam obligamur; cum enim Christum, qui est Dux et Caput nostrum, oportuerit pati, et ita intrare in gloriam suam, quemadmodum ipse Luc. ult. dixit, acquissimum sane est, ut per eandem viam et januam nos quoque intrare velimus, atque adeo, quoties Crucis signum formamus, nos ipsos sequentibus pii Ascetæ verbis I. I. de

imit. Christi c. lvi. excitemus: « Eia, fratres, pergamus simul: Jesus erit nobiscum. Propter Jesum suscepimus Crucem, propter Jesum perseveremus in Cruce. Erit adjutor noster, qui est Dux noster, et præcessor. En, Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnavit pro nobis. Sequamur propter, nemo metuat terrores: simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriae nostræ, ut fugiamus a Cruce. »

Pars quarta.

Quarta questio est, quos effectus producere solet pia Crucis Sacrosanctæ efformatio. Ad quam resp. varios a variis assignari, sed quinque potissimum. Primus est, quod contra visibilibus hostium insidias et potentiam nos defendat, uti celeberrimus Imperator Constantinus Magnus expertus est, qui, cum ingentem exercitum adversus hostem numerosissimum eduxisset, et de victoria dubitaret, Crucem præfulgidam in aere vidit, simulque hanc vocem audivit: « In hoc signo vinces. » Quam ob causam Crucis signum suis vexillis cum dictis verbis inscribi jussit, et duas insignes victorias reportavit. Alter effectus est, quod multo magis contra invisibiles hostes, nempe contra Dæmones defendat; uti expertus est Judæus ille, qui, cum a nocte superveniente obrutus in fanum aliquod antiquum se recepisset, ibique tumultuari spectra advertisset, gravi timore correptus, Crucis se signo, Christianorum more, signavit, tantumque accessissent, nihil se illi nocere posse faterentur, eo quod vas quidem vacuum, sed signatum, id est, Cruce munitum foret. Tertius effectus est, quod etiam contra hominum malorum, nempe magorum et incantatorum, sagarumque insidias et machinationes protegat. Hinc saga quædam aliquando confessa est, se ultra quinquaginta vices in alienam domum transvectam, infanti cuiquam nocere voluisse, nunquam tamen id efficere potuisse, eo quod mater infantem semper prius, quam in lecto deponeret, Crucis signo munisset. Quartus effectus est, quod etiam contra venenum, ac venenata animalia multum prævaleat; uti suo exemplo Christianus ille docuit, qui, cum a credulibus suis importune nimis ad debita solvenda urgeretur, denique in desperationem actus ter sibi hausto veneno (quorum ultimum

tam potens erat, ut cani datum momentò eum extinxerit) vitam sibi eripere conatus sit; quod tamen nunquam potuit, eo quod ex consuetudine prius, quam venenatum poculum hauriret, Crucis signo illud signasset. Et sane hic ipse effectus jam olim a Deo Israelitis promissus videtur, dum isdem per Moysen indicari voluit, ut, si a morsibus venenatorum serpentum, a quibus in deserto plurimi jam perempti fuerant, curari vellent, ad serpentem seneum in ligno erectum, per quem Crux Christi præfigurabatur, respicerent. Quintus denique effectus est, ut ipsarum etiam tempestatum terrores et damna arceat, uti iterum expertus est Christianus quidam, qui cum Hæretico iter faciens, gravissima tempestate orta, ad quodvis tonitru Crucis signo se armavit, et a fulmine illasus mansit, quo tamen socius ejus Hæreticus, qui ipsum velut superstitiosum irriserat, percussus, et interemptus est.

Epilogus.

Atque hæc de SS. Crucis signo dicta sufficiant, quæ, ut facilis in memoria teneatis, breviter repeto. Quatuor ergo vobis de Crucis signo questiones proposui. 1^a Erat, quomodo Crucis signum faciendum sit? Et respondi: distincte, reverenter, et devote hoc modo faciendum. 2^a Quando formandum sit? et resp. ante et post singulas primarias actiones, uti et in gravioribus periculis et tentationibus. 3^a Cur faciendum? Et resp. ob tres fines, nempe ad memoriam Passionis Christi renovandam: ad fidei nostræ professionem faciendam: ad obligationem nostram, qua cum Christo Crucem portare, et per tribulationes in regnum celorum ingredi tenemur, indicandam. 4^a Quos effectus aut virtutes habeat? et resp. quod contra hostes visibiles et invisibiles, malos homines, venena, et tempestates, alique ejusmodi pericula defendat. Hæc ergo diligenter servate in memoria, et, ubi occasio se obtulerit, praticate, nec dubitate, quin paulo ante descriptos, pluresque alios similes effectus copiose sitis reportaturi.

Quid post catechizationem observandum sit?

I. Post exhortationem finitam, simili modo, ut initio Catechismi fecit, stans,

junctis manibus; precepta Decalogi, et Ecclesiae, et quatuor novissima praecundo recitet, et non facile brevitas causa omittat, quia sic paulatim memoria firmius inhaerent; ob quam causam ipsi etiam Haeretici suas preces, puta orationem Dominicam, et similia ante, vel post singulas conciones recitare consueverunt.

II. Post preces, si fieri potest, cantiumculam aliquam temporis accommodatam cantari faciat; id quod etiam ad principium Catechismi observari convenit. Quem in finem aliquos pueros vel puellas a ludimoderatoribus instrui jubeat.

III. Curet, ut modeste e templo egrediantur; neque finito cantu ullum facile audiat, aut usque ad sacristiam se sequi patiatur.

IV. Antequam e templo ipse discedat, partim gratias agat pro successu habiti paulo ante Catechismi: partim vero etiam supplex roget, ut bono semini jacto incrementum et fructum centesimum benignus Deus largiri dignetur.

CAPUT IV.

DE VARIIS INDUSTRIIS A CATECHISTA ADHIBENDIS.

I. Variæ a diversis industriae sunt adhibita, aut prescriptae ad optatum fructum ex Catechismo referendum, sed quæ ad sequentes fere revocari possunt. Prima est, ut diligenter frequentari curet Catechismum, eumque in finem ludimagistrorum, parentum, et si opus erit, etiam magistratus secularis industriam et sollicitudinem exstimulet; nisi enim sedulo et constanter temporibus constitutis comparent instruendi, multa, quæ in praecedentibus lectionibus dicta sunt et repeti saltem fusius non possunt, negligent, et ignorabunt.

II. Altera industria est, ut quietem et modestiam catechizandorum singulari studio et sollicitudine procuret, ideoque neminem non vocatum loco suo exire, aut discurrere sinat; quod quidem per ludimagistrorum, aut aliarum personarum maturiorum praesentiam et vigilantiam obtinebit; aut si nemine se eorum ad recitationem admissurum miniteretur, qui loco suo quietus non substiteret.

III. Tertia est, ut varios libellos parvos de iis rebus, quæ scire quævis Christianum

debet, tractantes, et passim in bibliopoliis vili pretio vendi solitos pro munusculis distribuat; sic enim, quod in Catechizatione ipsa satis non perceperunt, domi repetere, discereque possunt. Ejusmodi autem libelli v. g. sunt: « Kleines Bethbüchlein. Litaney-Büchlein. Richtschnur eines gottseligen Lebens. Geistlicher Lehrmeister. Agnus Dei Büchlein. Beicht und Communion-Form. Catechismus von der ersten Communion. Catholischer Bericht vom Weywasser, und geweyhten Saltz. Von des Heil. Creutzes Bedeutung, Zeichen und Form. Christliche Lehr in hundert Franc gefast. Fasten-Lehr, oder Bericht, wie und wer zu fasten schuldig sey. Fragstück über den Catechismus P. Canisii. Guldnes Kleinod, Metzbüchlein. Rudimenta Fidei. Tag-Ordnung. Zucht Spiegel. » Qui omnes et plures alii similes libelli Dilingæ vel Monachii venales reperiantur.

IV. Quarta est, ut maturiores aliquos juvenes aut virgines alliciat ad certos pueros aut puellas de certis capitibus doministrandos, et, ubi instructos adduxerint, illos perinde ac hos convenientibus munusculis remuneretur.

V. Quinta est, ut nonnunquam certa quædam capita scripto communicet, quæ per hebdomadam memorie mandent, et in sequenti conventu non sine premio et commendatione recitent.

VI. Sexta est, ut omni modo apud ipsos etiam parentes, aut etiam ludimoderatores impetrare conetur, ut, ubi post catechizationem domum, vel in scholam redierint, eosdem examinent, quid in Catechismo didicerint, et negligentes commertis penis castigent: sic enim, quos spes munusculorum ad attentionem non excitat, saltem paenarum timor attentos faciet.

VII. Septima est, ut, quantum fieri potest, attendat, quid vel quantum quisque ab ultima recitatione didicerit, ne eadem frequentius repetendo ad nova didicenda minus amentur. Qua in re ludimoderatorum, et eorum, qui curam catechizandorum gerunt, cooperatio multum juvabit.

VIII. Octava est, ut, ubi interdum aliquos valde inquietos, aut alia ratione contra modestiam et reverentiam gravius peccasse adverterit, minis denuntiationis ludimagistro aut parentibus faciende terreat; et si minas non sufficiant, actu denuntiarum, meritisque penis castigari curet.

INDEX TITULORUM.

PARTS I.		
De Officio ipso Concinatoris.....	5	<i>Membrum II.</i> De Methodo in confirmatione servanda..... 25
<i>De prostantia hujus muneris.....</i>	<i>ibid</i>	<i>De quinto Concinatoris officio seu de pronuntiatione.....</i>
<i>Quid sit Concio.....</i>	<i>6</i>	<i>De sexto officio Concinatoris, seu bono exemplo.....</i>
<i>De primo officio Concinatoris seu materie electione.....</i>	<i>7</i>	<i>Monita quædam generalia Concinatori observanda.....</i>
<i>Membrum I.</i> De electione materie.....	<i>8</i>	
<i>Membrum II.</i> De libris ex quibus petenda est materia concionum.....	<i>ibid</i>	PARTS II.
<i>Membrum III.</i> De Bibliotheca a Concinatori paranda.....	<i>40</i>	De praxi habendam concionum.....
<i>Membrum IV.</i> De modo fructuose notandi.....	<i>42</i>	CAPUT I.
<i>Membrum V.</i> De varietate materie.....	<i>44</i>	Quid in genere circa praxim habendam concionum observandum sit.....
<i>De secundo officio Concinatoris, seu de argumentorum inventione.....</i>	<i>46</i>	
<i>Primus Locus.</i> Per nominis interpretationem.....	<i>ibid</i>	CAPUT II.
<i>Secundus Locus.</i> Per verborum discussionem.....	<i>ibid</i>	De praxi Dominicales conciones habendi.....
<i>Tertius Locus.</i> Per concordantias auctoritatum.....	<i>47</i>	<i>Exemplar I.</i> In quo ostenditur quomodo una doctrina Auditoribus persuaderi debeat.....
<i>Quartus Locus.</i> Per expositionem alicujus sententia in vario sensu.....	<i>ibid</i>	<i>Exemplar II.</i> In quo ostenditur, quomodo ex eadem sententia plures doctrine deduci queant.....
<i>Quintus Locus.</i> Per comparationes.....	<i>48</i>	<i>Exemplar III.</i> In quo ostenditur quomodo per parabolas aliqua doctrina inculcari possit.....
<i>Sextus Locus.</i> Per varias compositiones.....	<i>49</i>	<i>Exemplar IV.</i> In quo ostenditur, quomodo doctrina aliqua per historiam inculcari possit.....
<i>Septimus Locus.</i> Per rerum proprietates.....	<i>ibid</i>	<i>Exemplar V.</i> In quo ostenditur, quomodo moralis lectio in concione institui possit.....
<i>Octavus Locus.</i> Per similitudines.....	<i>ibid</i>	<i>Exemplar VI.</i> In quo ostenditur, quomodo vitium aliquod reprehendi, et corrigi debeat.....
<i>Nonus Locus.</i> Per oppositorum assignationes.....	<i>ibid</i>	<i>Exemplar VII.</i> In quo ostenditur, quomodo materia aliqua controversistica in concione tractari debeat.....
<i>Decimus Locus.</i> Per divisionem in partes.....	<i>20</i>	
<i>Undecimus Locus.</i> Per ratiocinationem.....	<i>ibid</i>	
<i>Duodecimus Locus.</i> Per causas, et effectus.....	<i>ibid</i>	
<i>De tertio officio Concinatoris, seu de elocatione.....</i>	<i>21</i>	
<i>De quarto officio Concinatoris, seu de Dispositione.....</i>	<i>23</i>	
<i>Membrum I.</i> De Methodo in partibus concionis servanda.....	<i>ibid</i>	